

tempore Athanasij dissecta fuit Ecclesia, adeò ut ille solus ex Orthodoxis superesse videretur, & quidem profugus & exul? Num verò hoc obstare potuit, quò minus certum & Orthodoxum symbolum Ecclesiae Christianae conscriberet?

133. Annon ipsa quoq; Sacramentariorum synagoga miserè, & quidem longè horribilius tempore exhibitæ huius Confessionis, fuit dissecta, quàm Lutheranorum Ecclesia unquam esse potuit: attamen nihilominus suam edere Confessionem illi licuit?

134. Nugas ergò nugantur Sacramentarij, & mendacia mendacijs cumulant. Cuius farinae est & illud, quòd Ecclesiam è tenebris Pontificijs vix tum eluctatam esse strident.

135. Atqui verò iam tum Reformationis divinitus à Megalandro Lutherò inchoatæ, annus agebatur decimus tertius: ipsius verò Religionis Christianae capita iam tot disputationibus, tot conventibus, tot colloquijs, tot comitijs, in utramq; partem erant ventilata & excussa, ut tale aliquid postera ætas hæctenus non viderit, & fortasse haud visura sit unquam. Satis ergò longum tempus ad controversias omnes cognoscendas, & diudicandas, ante Confessionis scriptio- nem Ecclesiae fuit concessum.

136. Alteram cavillationem mendacijs & vanitatis satis evidentè arguunt, omnes eæ deli-
bera-